

Privilegio di Roberto d'Angiò

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Privilegio di Roberto d'Angiò

1316-05-24

Robertus Dei gratia Rex Ierusalem et Sicilie, Ducatus Apulie, et Principatus Capue, Provincie, et Forcalquerii, ac Pedemontis Comes, Secretis Calabrie presentis et futuris, fidelibus suis, gratiam suam et bonam voluntatem

Georgius Zaccaria de Giracio miles fidelis noster, maiestati nostre nuper exposuit, quod tam antecessores sui, quam ipse a tempore eius memorie, non existit tenuerit a Regia Curia in Civitate Giracii, Terra Agrotterie et tenimento earum, quamdam excadentiam dictam de Misillo pro quo quidem vassalli, et villani eiusdem excadentie singulis duobus annis Curie Regie tarenos auri centum pro regali iure solvere tenebantur. Adiecto in expositione prefati, quod propter guerre discrimina, aliqui ex vassallis, et villanis dicte excadentie morte perenti, et aliqui eorum desidentes incolatum se alibi transtulerunt, tum quia in ipsa reperiuntur non nisi tres, et ipsis locis nihilominus dicte excadentie pro maiore parte destructis, ac etiam devastatis ad eo quod ipsius excadentie fructus ad solvendum tantum non sufficerent, ius predictum prout per inquisitionem de mandatum Curie factam exinde constare esseruit que quidem in Archivo nostro Regio conservatur. Supplicato itaque per Dominum exponentem ius, quod pro excadentie ipsa debet nostre Regali Curie sibi, per maiestatem nostram gratiose relaxare. Nos ob grata fidelitatis et obsequiorum merita exponentis eiusdem in hac parte supplicationi benignius annuentes in praefatum, quod predictae Curie nostre ut prefertur debetur ei in sua vita, dum taxat remittimus gratiose. Mandantes quod tam tunc presens Secretis, quam vasallis successive futuri eundem militem vassallos,

seu villanos, eiusdem excadentie vita durante militis supradicti, occasione solutionis iuris eiusdem nullatenus molestetis, seu molestari, aliquatenus permittatis.

Presentes autem Litteras post opportunam inspectionem earum relaxavi volumus presentati efficaciter valituras. Datum Neapoli per Bartholomeus de Capua militem, Logothetam et Prothonotarium Regni Sicilie. Anno Domini millesimo trecentesimo sexto decimo, vigesimo quarto maii, quarte inditionis, regnorum suorum anno octavo.